

Ἐπιφάνης à Samaritanis accepit, idque anno 145. quo jam dudum Ægypto excesserat; Si hoc verum, apertum utique est, Numismata hæc, utpote in quibus cognomen id occurrit, in Ægypto signata falso statui, sed pertinere & ad cultum Jovis, quem crudeli zelo Antiochus in Judæam invexit, & ad expeditionem in Persas, quos Crinitos fuisse & ipsos, ex Herodoto Lib. VI. c. 19. jamdudum innotuit. Aliud est Crinitum, respondit DULODORUS, aliud Cincinnis ornatum esse; Sed de hoc alibi. De Vaillantii sententia quaero, an de suo rem affirmet, an aliunde hauserit? Josephum citat, inquit ARCHÆOPHILUS, cujus assertum proculdubio fidem meruerit. Josephus, respondit DULODORUS, nullibi affirmat, Samaritanos *primos* Antiochum cognomine Θεῶν Ἐπιφάνης honorasse, multò minus, Antiochum eò ante id tempus usum non fuisse. Samaritanorum quidem Epistolam tradit, Antiocho Θεῶν Ἐπιφάνει inscriptam; Quis autem inde cum Vaillantio concludat? Quis non potius, confucto id more Samaritanos fecisse? adeoque eò cognomine Antiochum etiam ab initio usum fuisse, quando Ἐπιφάνης, teste Appiano, à Syris cognominatus est. Assurgerem placito, excepit ARCHÆOPHILUS, nisi Numismata aperte contrarium arguerent. Contrarium? subjecit DULODORUS; at nullibi cognomen Ἐπιφάνης solum in hujus Regis Nummis occurrere, sed semper cum cognomine Θεῶν conjungi, ipse Vaillantius agnoscit. Imò in pluribus omninò omittitur utrumque, repofuit ARCHÆOPHILUS, idque fit etiam eo in Nummo, qui cum Chronographia Anni 144. prostat, à Tyriis percussus: Et quid inde concludas, si non ante Samaritanorum Epistolam ejus cognominis usum non fuisse? Numismataque eò carentia ante annum 145. reliqua autem, id sc. præferentia, postea demum percussa esse: quò posito, Vaillantii utique sententia firma basi nititur. Non arbitror, inquit DULODORUS, constat enim Cognomina sua Reges cum in quibusdam expressissent, eadem postea rursus omisisse. Exempla apud ipsum Vaillantium prostant: Alexander I. cum in Nummis Anno 162. & 163. percussis, Θεῶν Πατρῶν & Εὐεργέτης legatur, in alio, anno 166. signato, solo Βασιλέως honore insignitur: Demetrius II. cum in Nummo Anno 174. percusso Θεῶν Νικητορος cognomine fulgeat, in sequentibus Anno 175. signatis, eò rursus caret. Ita & Antiochus VII. Anno 176. Evergetæ cognomine in Nummo usus est, Annis autem 178. & 181. eò rursus abstinuit. Ex quibus utique apertum est, ex Numismate Dei Epiphaniis Anno 144. sine cognomentis percusso, infirmum omninò, contra me opinionemque meam, argumentum trahi. Vaillantium potius ipsò factò mihi suffragari, nescio annon audacter asserere ausim; Ipse enim Numismata Antiochi nostri cum cognominibus Θεῶν Ἐπιφάνης priore locò proposuit, reliqua autem cognominibus iis carentia, & nominatim id quoque, quod Anno 144. percussum allegasti, loco posteriore exhibuit, inter quæ quod pagina 196. habetur, dubitari posset, annon ad Antiochum IV. pertineat, cum additæ literæ Ο q. numerales scilicet, ad annum 170. id rejicere videantur. Sed hoc ἐν παράδοξο. Sequitur, qui filium Antiochi nostri, Antiochum scilicet Eupatorem, interfecit,

DEME: